

## Articulus 24. Louan.

**S**ummam hanc præposituram pri-  
mus obtinuit S. Petrus, uerus Chri-  
sti in terris uicarius, & familiæ eius  
pastor: post petrū uero, ex Christi In-  
stitutione omnes deinceps pontifices,  
Petri in cathedra successores.

Responsio ad 21.22.23.24. articu-  
los Louanienses.

**H**i quatuor articuli arte colligati sunt, ut  
perstringant imperitorum oculos & men-  
tes, sed ut res clare uidcri possint, nos con-  
nexa disiungemus, & distribuemus in duo capita  
primum crit de unitate Ecclesiæ unde aestimana-  
da sit.

Alterum de authoritate Ecclesiæ, in exposi-  
tione scripturæ, & iudicandis dogmatibus. Nā de  
alijs conuenit quod una sit uera, catholica, sancta,  
& apostolica Ecclesia, extra quam nulli sit speran-  
da salus, & quæ habcat diuinam potestatem ex-  
communicandi hæreticos, schismaticos, & alios  
flagitiosos, inobedientes, & contumaces.

De unitate Ecclesiæ sic sentimus eam consiste-  
re in his quatuor, uidelicet.

¶ In